

DE JURIBUS MAJESTATIS

A D S E R T A

EX NATURALI, ET GENTIUM JURE

D E P R O M P T A,

QUAE PUBLICO CERTAMINE DEFENDENT

Martinus Leonés,
Philippus de los Rios,
Andreas del Rio,
Bartholomaeus Basabru,

Joannes Baptista Sanmartin,
Antonius Sanctacolomba,
Michael Bachiller de Mena,
Raphael Bachiller de Mena,

HUIUS JURIS STUDIOSI,

In Scholis à CAROLO III. P. F. A. munificè restitutis.

SUB JOSEPHO FERRER ET BARDAXI,

JUR. NATUR. ET GENT. REG. PROF.

DIE 19 MENSIS JULII HORA X. MANE,

ET V. VESPERE.



MATRITI M DCC LXXXIV.

 Apud PLACIDUM BARCO LOPEZ in via de la CRUZ.

SUPERIORUM PERMISSU.

DE JURIBUS MAJESTATIS
AD S E R T A

ET IN TURNA ET CANTU
D E P R O M P T A
QUAE PUBLICO CERTAMINE DEBENT

Martinus Barco
M. Barco
M. Barco
M. Barco
M. Barco
M. Barco
M. Barco
M. Barco
M. Barco
M. Barco

HUIC JURIS STUDIO

in Schola a Carolo H. P. A. nuncio renuntio

SUB JOSEPHO FERREO ET BARBARA

JUR. NATUR. ET GENIT. REG. PROF.

DIE 10 MENSIS JULII ANNO 1788



MARTINI M DCC LXXXIV.

Apud Pacidum Barco Loret in via de la Cruz

Superiorum Praesentibus.



§. I. **I**nter tot , tantaque dona , quibus Dei optimi maximi erga hominem , quem prae caeteris animantibus ratione praeditum , et omnium rerum dominum fecit , largitas , et beneficentia elucet ; illud non immeritò praecipuis adnumeramus, quod eum adpetitu Socialitatis exornavit, quo duce , atque magistro , saevis, atque ferinis moribus relictis , humanioris , jucundiorisque vitae consuetudinem compararet , aliosque Socios sibi rediderit, atque necessarios.

I Nec ipsemet Deus ullam hac in re dubitandi rationem relictam hominibus

voluit, dum statim hominem absque Societate vitam degentem miserrimum fore significavit. Qua de causa humani generis primus parens Adamus Sociam sibi ab ipso Deo traditam, non solum non ferus rejecit, sed summa cum animi voluptate, et laetitia recepit. En prima naturalis humanae Societatis incunabula »ad-
»petitus scilicet, quo ipsamet natura
»duce trahimur in Societatem.»

2 Quoniam autem Societatum, quas hodie Civitates adpellamus, origo ex hoc simplicissimae Societatis desiderio, nec statim, nec aperte derivari potest, jam, quomodo res sese habeat, paulo accuratius erit nobis investigandum.

§. II. Cum quodlibet animantium genus, ita à natura institutum sit, ut omne id, quod utilitatem, commodumque ejus conservationi adfert, anxie quaerat; id vero, quod nocere, vel interitum adferre potest omni studio, ac diligentia vitare conetur: igitur quanto magis hominibus, qui tali rerum cognoscendarum, dijudi-
can-

candarumque facultate praediti sunt, id contingere necesse est?

1 Quia vero in hoc miserrimo naturae nostrae statu eam, quam adpetimus, securitatem consequi nullo modo valeremus; quinimo in beluinos Cyclo-
pum mores, ubi pessimo loco imbecillio-
rum res essent, abiremus; idcirco ratio-
nem, quae naturae pravitatem corrige-
ret, et degenerem morum improbitatem,
praesentiori talionis, aut suppliciorum for-
midine reprimeret, vel ad saniores cogi-
tationes homines deduceret, invenire ne-
cesse fuit.

2 Quando itaque in ampliorem nu-
merum genus humanum excrevit, quam
quod paci inter numerosas illas familias
servandae conveniens erat: orta inde Ci-
vitas est, quae saluberrimo ordine instruc-
ta, non solum omnium rerum, quibus ad
quotidianos usus indigemus, refertissima
erat; sed potentiores cum infirmioribus
ita conciliavit, ut quod minime sine ci-
vili ordine sperare liceret, unusquisque

Jus suum sine vi, et impari illa ferocitate consequi posset. Tanti equidem momenti haec ratio juris consequendi Ciceroni visa fuit, ut, *fruendae justitiae causa olim bene moratos Reges constitutos*, memoriae prodere non dubitaverit.

3 Alii praeterea Philosophi extra civilem ordinem necesse fore, ut vitam ferarum ageremus, testantur; immo tanto illis ferociores, quanto sine justitia, et legibus ratione non nisi ad injurias, et violentiam abuteremur. Itaque hic imperandi, et parendi ordo homini utilis admodum, et necessarius adeo est, ut sine eo neque domus ulla, neque Civitas, nec humani generis conservatio concipi ullo modo possit.

§. III. Cum primum homines in Civitates, et ordinem publicum coaluere, rerum omnium fini consequendo necessariorum prudens, et accurata deliberatio adhiberi debuit. Sed cum hunc finem inter tot, tamque diversas agrestis illius multitudinis sententias obtinere nequ-

rent

rent sine publico ad cogendos contumaces imperio ; omnium consensu decrevere , ut unus, vel plures hac imperatoria, regiaque Majestate induerentur , quorum voluntati , et legibus caeteri obedirent, vitamque his consentaneam agere tenerentur.

1 Itaque optimum quemque , ac sapientissimum ad tantum fastigium evexere , qui inordinatam plebis licentiam premiis, poenisque contineret , et statui Reipublicae consuleret leges ferendo, ad quarum observantiam caeteri vi suae conventionis erant obstricti. Qui eas benigno animo accipiebant , seduloque custodiebant , publice laudati ad primos Reipublicae honores evehebantur ; et è contrario eos, qui debitum obsequium illis non praestabant , Lictorum fasces continebant in officio, neque id quidem injuria, cum ipsi sponte hanc sibi conditionem fecissent.

2 Postea cum alii paulatim huic ordinatae Societati accessissent, vel expresso consensu in placita Civitatis ivere;
vel

vel tacite ex negotii natura promississe videbantur, secuturos se id, quod major pars coetus, aut hi quibus potestas delata erat, constituissent.

3 Ex quo prono alveo fluit, omnes Civitates pactis intervenientibus constitui, idque sive homines ultro in hanc Societatem consenserint, sive eorum consensus initio vi fuerit extortus, sive aliqui constitutae jam Civitati ultro, vel coacti accesserint; sive à Civibus orti, eo ipso, quod in Civitate tamquam parentum haeredes, ac successores habentur, consensisse meritò intelligantur.

§. IV. Hoc modo constituta Civitas, vel Monarchiae, vel Aristocratiae, vel Democratiae nomine venit. Si enim homines unius tantum personae phisicae voluntati suas submitunt voluntates nascitur Monarchia, qualem in populis Orientalibus, et Africanis plerisque, itemque in Gallia, et Hispania nostra animadvertimus: si plurium voluntati, ac decreto, Aristocratia, qualis Venetiis, et Genuae;
si

si tandem id, quod universa Civium multitudo communi suffragio decrevit, protius Civitatis voluntate habetur, Democratia, qualis olim Athenis, et hodie in quibusdam Civitatibus liberis viget.

§. V. Hae sunt tres Civitatum formae simplices, quibus aliqui quartam, mixtam scilicet Rempublicam, ubi Majestatis Jura divisim exercentur, adjungunt, quod veluti politicum monstrum contemnendum perillustris Bodinus judicavit, nec tamen impunè; nam statim à vulgo Politicorum, veluti si naturae ordinem penitus evertere conatus fuisset, in unum conspiratum est. Sed nos, quidquid vulgi ignorantia clamitet, Bodino, paucisque aliis accedere, quam aliorum sententias temerè sequi, malumus.

¶ Magni etenim momenti est Bodini ratio, qua ideo Majestatem individuum esse nos edocet, quod omnia ejus Jura ex uno, simplici que fonte profluunt, „imperio, scilicet in personam.“ Nam qui id habet, Jura etiam ab eo necessario profi-

ficiscentia , veluti legum ferendarum , pacis , bellique arbitrium , dominium in territorium , indeque exoriens universi regimen , non potest non habere ; contraque , qui tali in personam jure non gaudet , illum , nihil praeterquam nudam imperii administrationem habere , merito dicendum est.

2 Majestatis igitur Jura tam indissolubili invicem nexu inter se cohaerent , ut unum ab alio sine mutua omnium ruina ullo modo divelli nequeat : et hinc eadem ipsa Majestas , quae nunc legibus scribendis operam navat , postea bellum indicit , conventus cogit , imperium exercet , tributaque imperat ; atque secundum haec diversa objecta , potestatem , vel legum ferendarum , vel belli gerendi , vel juris dicendi habere dicitur , et tamen non nisi unam tantum Majestatem concipimus : quemadmodum unus idemque ignis limum indurat , ceramque liquefacit , quin ad id alio diversoque igne opus sit.

§. VI. Cum ergo, quoties omnes Cives voluntates suas unius phisicae personae voluntati submitunt, inde Monarchia emergat: Monarcha, penes quem summa est imperii, sive Regis, sive Ducis, Principisve nomine utatur, omnia suo arbitrio in Civitate agere poterit. Quamvis enim prudentiores merito adhibeat in consilium, eorum tamen suffragia non sententiarum, sed consiliorum tantum nomen merentur, cum ipse summo gaudeat imperio, atque independenti, ita ut non nisi à Deo possit judicari.

¶ Pestilentissimum igitur est dogma Monarchomachorum haec asserere non dubitantium: Majestatem nempe esse duplicem, *realem*, et *personalem*. Illam in complexione eorum Jurium, quae *regalia* dictitant; hanc in personae prae aliis eminentia sitam esse ajunt: et hanc penes Regem, illam vero penes populum esse; ita ut Reges imperio suo non bene utentes à populis male mulctari possint.

§. VII. Caeterum, quia eatenus tan-

B

tum

tum voluntati Regum suas submisserunt Cives voluntates, quatenus finis Civitatis, aut communis, ob quam potissimum in Civitatem coaluerunt, securitas exigit; non possumus non inde colligere, illos qui Regibus persuadent licere eis, quod libeat, nec Civibus ab imperantibus injuriam fieri posse, nefarie illis blandiri. Haec enim principia, et omnia, quae *obedientiam passivam* constituunt, non minus pestilentia esse, quam Monarchomachorum dogmata, nemo sanus temere negabit.

§. VIII. Qua propter Regi ea omnia competunt Jura sine quibus Civilis Societatis finis, puta securitas, obtineri non potest; et haec conjunctim Majestas, seu Majestatis Jura adpellantur. Cum vero duplex sit securitas, interna, qua Cives à Concivibus, et externa, qua ab hostium vi, atque armis securi praestantur, duorum etiam generum erunt Jura Majestatis, quorum alia, quae ratione Civium competunt *immanentia*, alia quae erga exter-

nos

nos exerceri possunt, *transeuntia*, juvat adpellare.

§. IX. Inter prima illa praecipuum locum obtinet potestas leges ferendi, quae veluti character est certissimus Majestatis. Cum enim ad Regis voluntatem singuli Cives sese debeant componere, ut illa his certe innotescat necessarium est. Qua de causa summi erit Imperantis quid agendum, quid vero omittendum singulis sit, praescribere. Sed quia in tanta hominum multitudine singulis, et circa singulas actiones jussa dare impossibile sane esset; ideo certas, universalesque leges ferre necesse fuit, quibus omnibus, et in perpetuum, de agendis, omittendisve constaret. Praeterea quia inter hominum judicia maxima diversitas deprehenditur, et mirabile sit, quam diversa adpetant, ad infinitam, quae inde oriri posset controversiarum segetem vitandam, permultum quoque, quid cuique suum, quid alienum censi debeat, quid in Civitate liceat, quid in ea uni-

cuique prohibitum, nec non quid honestum, inhonestumque sit, Reipublicae interest definire: quamque partem quisque ex primaeva illa naturali libertate adhuc retineat, aut quo pacto jus suum consequi valeat, ita ut ordo, tranquillitasque Reipublicae non perturbetur, eoque uti debeat, item decernere.

1 Ut autem hanc rem paulo accuratius explanemus, animadvertendum primum est, quaedam à natura praecepta, quaedam prohibita, quaedam vero indeterminata esse relicta, quin inter ea ipsa, quae mandata, aut prohibita sunt, aliquod discrimen adparet; namque alia simpliciter, et in omni tempore, et loco juventur, aut vetantur agere; alia certo tantum statu, modoque. Sed quo modo circa singula se habeat legislatoria potestas, sequentibus adgredimur explanare.

2 Ea quae à natura simpliciter nobis praecepta sunt, prohiberi à Majestate numquam possunt; sunt enim hujusmodi jussa rata semper, atque immutabilia; quip-

quippe quae à recta ratione, quae omnibus hominibus perpetuo affulget, derivantur; et quae ab ipsa praescripta sunt, tamquam à Deo emanantia, non possunt non semper, et ubique ex se justa censi; cum ea quae in se, et absolute bona sunt, nec à Deo quidem ipso mutari possint, praecipue, si in eum ipsum, ejusque adtributa, naturae praecepta cadant. Prima, ac praecipua naturae lex est, quae jubet Deum colere, atque adorari: eaque tam indisolubili, aeternoque nexu stabilita est, ut quo pacto contrarium à Deo juberi possit, concipi nequeat.

3 Quum enim omnia, quae D. O. M. debemus, officia ex infinitis ejus perfectionibus eruenda sint, ipsumque Deum tamquam perfectissimum consideremus; et non absque gravi ejus perfectionis macula, quod ab hominibus non adorationem, sed contemptum, et odium exigere vellet, concipiatur: Deum numquam haec, et similia hominibus praecipere vel-

le,

le , nemo profecto sanus in dubium audebit revocare.

4 Quidquid natura absolute prohibuit , juberi à Majestate Politica nequit. Nullae enim Magistratum leges , permissiones , aut indulgentiae , ad bona facienda ea , quae natura mala sunt , rectaque ratio ita nobis repraesentat , sufficiunt. Quaedam igitur ita ex se prava sunt , ut earum prohibitio à nulla , nec adhuc ab ipsius Dei voluntate , pendeat. Non enim ideo pro malis habentur , quia à Deo prohibita sunt , sed ideo ab eo prohibita , quia ex se mala sunt : ex quo illud evenit , ut ante omnem Dei voluntatem quaedam opera bona , quaedam mala sint.

5 Quidquid jubet , prohibetve natura simpliciter , absoluteque , id similiter jubere , prohibereve Majestati licet ; namque in hoc Legislatores , nullum aliud , quam rectae rationis dictatum sequitur ; tuncque ea , nec nova , nec humana lex censi debet : manet enim eadem , nova tantum
ad

ad humanos animos , et notitiam , facta adplicatione.

6 Praeceptum, quod natura certa limitatione, aut certo statu imposuit, adhuc in aliquo casu, hac limitatione, et statu non comprehenso, Majestati licet prohibere, quia pari casu ipsamet natura idem prohibere voluisse, taciteque etiam prohibuisse, censetur. Itaque quoniam obedientia, quam natura erga Parentes praecipit, non eodem modo, quo cultus erga Deum comparata est; numquam casus, quo Deum colere non debeamus evenire potest, cum contra plurimae sese offerant causae, quibus obsequium Parentibus praestare non liceat: veluti si eorum jussa aliquid adversus Deum, Patriam, Magistratus, vel bonos mores contineant. Ex hisque quam facillime decidi potest quaestio, num Filius Patrem perduellem aliqua re adjuvans, perduellis poena plectendus sit?

7 Quae denique à natura, nec praeccepta, nec prohibita, sed indeterminata

re-

relicta sunt, ea praecipere, aut prohibere, in arbitrio Majestatis est; quia natura dum in alterutram partem nihil omnino decrevit, humano id captui commisisse credendum est; in hisque tantum commodum, utilitasque Reipublicae inspicitur, dum in aliis justitia, honestasque quaeritur. Et haec de lege naturali, divina, dicta sufficient.

Quoad legem divinam positivam, scilicet, quam ipse Deus pro liberrimo suo arbitratu universo generi humano dedit, pari modo sese res habet. Nam ex his, quae divina voluntas jussit, vel prohibuit, humanae Majestati quidquam mutare non licet: tantumque in ea, quae certa conditione, aut restrictione concessa, aut prohibita sunt, aliquid Juris tribuitur.

9 Nec aliud de Jure Gentium *proprie sumpto*, quatenus scilicet humanae Societati est necessarium, regulamque earum actionum constituit, quae populis, populorum ratione unice competunt,
di-

dicendum videtur. Multo aliter id contingit in eo Gentium Jure, quod *secundarium*, et *improprium* nuncupatur, quod nihil aliud est, nisi consuetudo liberrime recepta, et plurimis Gentibus usitata; namque haec, et mutari, et abrogari potest.

10 *Leges fundamentales* sunt conditiones quaedam, quae proximo Imperanti, ut secundum eas Imperii sui ordinem instituat, proponuntur. Eae, si designato Principi placuerint, mutua illico conventio, et ex conventionem subito obligatio nascitur. Diximus si placuerint, quia pacis, non inviti, sed tantum ii, quibus se obligandi voluntas non deficit, tenentur.

11 Quid circa has leges, quas vocant fundamentales, Civili Majestati liceat, diu ancipiti Marte dubitatum, et adhuc sub Judice lis est. Nostra in eo haec est sententia.

12 Quemadmodum in quolibet conventionum genere una contrahentium pars, altera invita à contractu discedere,

C

aut

aut in eo quidquam mutare non potest, non alio modo Princeps, quippe qui in contractibus privatorum jure utitur, sese gerere debet. Cum vero omnes eae obligationes, quae consensu contrahuntur, dissensu disolvantur, ita etiam Imperans cum Principibus Populi, aut his, quibus cum antea convenit, legibus Imperii aliquid addere, aut detrahere potest: quod tamen in fundamentali lege, qua Regni successio sancitur, locum non habet, quia haec à Principe, et à Populo in Succedentium detrimentum mutari non potest; cum enim hi succedendi jus à primo Regni acquirente acceptum habeant, idque non solum nati, verum etiam et nascituri; quoniam pacto sine ullo suo facto à Principe, et Populo eo Jure privari poterunt?

13 An summae Potestati, quae divina lege naturali, aut positiva prohibita sunt, fas sit permittere, non minoris momenti, nec minus inter Authores agitata est quaestio. Et quidem ipsamet ratio naturalis,

lis, Judaici Populi leges Forenses, Civiles Romanae, Ecclesiasticae, et Hispanae, licere interdum Principi permittere ea, quae sine magno, et fortassis majori malo emendari nequeunt, passim testantur, & cur enim quaeso usurarum, Judaeorum inter Catholicos domicilii, et lupanarium permissionem (seu mavis tolerantiam) licitam non fecerint ultra graves, neque spernendas hujusce permissionis causas, quas nimis longum foret enarrare, tot Christianorum Caesarum, Pontificum, et veterum Ecclesiae Patrum, constans, perpetuaque opinio, et conniventia? & Nonne singula, nec adhuc conjuncta, peccato, indulgentiaeque illicitae vertere contractae nimis, et tuberosae frontis esset?

§. X. Cum omnia ea Jura, sine quibus Cives à Civibus securi praestari non possunt, Civili Majestati competant; cumque, ut homines, et communis legis naturalis praecepta, et quae ad bonum Civitatis statuuntur, observent metu poe-

nae , et eamdem repraesentandi facultate opus sit ; meritò Principi in Civium personas Potestas , et Jus eos pro delicti ratione puniendi competit.

1 Ad hunc finem consequendum ea poena est instituenda , qua apertè majus detrimentum , quam lucrum , qui legem violavit , accipiat. Non enim non possunt homines ex duobus malis , quod sibi minus videtur , eligere : et licet aliquorum protervia , damnique faciendi libido eo se extendat interdum , ut crimina perpetrare , quam recte vivere malint ; tamen hoc raro evenit , et his , quae vitare humana conditio non patitur , adnumerandum est.

2 Ut autem poenae aequè , rectèque infligantur , commodum , utilitasque Reipublicae , et earum fines consuli debent , et prout ista se habeant , modo intendi , modo remitti ab Imperante possunt : idque si suaviori via consequi potest , justo major ; si vero ad internam salutem conservandam , reprimendamque Civium malitiam

non

non sufficit, justo minor poena censenda erit.

3 Quanta igitur, qualisque poena sit infligenda ab Civilis Imperii definitione eruendum est; nec necessarium, ut eadem semper proportio inter poenam, ac inter objecta per delictum violata, intercedat; sed singulis delictis sua veluti seorsim poena, prout ex usu Reipublicae est, debet imponi, quin ad id ratio habenda sit an par, an vero minor alio delicto sit imposita, quod illo majus, aut minus videatur. Quare ita Judices in imponendis poenis aequitatem, aequalitatemque observare debent, ut aequè peccantes, aequè puniantur; nec delicta, ob quae unus coercetur, alteri sine gravissima causa condonentur; quia inaequalitas poenarum periculosis in Republica turbis causam praebere solet, et non potest non effectum suum poena carere, quae privatorum adfectui potius, quam publico bono, inservit.

4 Ea tamen aequalitas intelligenda duntaxat est de illis, qui par, ejusdemque

que generis delictum, non qui diversum admiserunt : nam saepenumero crimini, quod in se levius videtur, major inter homines poena imponi opus est, prout Reipublicae salus postulat. Nec hac de inaequalitate damnatus postea queri debebit, quippe qui ante criminis patratiōem, utique poenam praescivit, sibi que imputari debet. Sic, quamquam furtum in se valde levius homicidio sit, nullam tamen fur querendi causam habet, si aequali cum homicida poena plectatur. Neque pauca delicta per se inaequalia una, eademque mortis poena vindicantur, quia gravius morte supplicium inter humanos non invenitur, nisi quod ad eam, aliquando brevi, ac faciliori via, aliquando per lentos, ac diros cruciatus pervenitur.

5 Sed, cum homines eo praecipue fine, ut vitam, libertatemque in tuto collocarent, in Civitates convenissent; hique puniendi, occidendive semetipsos facultate non gaudeant; haud facile inveniri potest, quonam pacto eam Principi confer-

re

re voluerint, aut potuerint; nec de ea re eadem est omnium sententia.

6 Qui Deum unicam Majestatis laudant causam, difficilis solutionis nodum secare, vel disrumpere, magis quam solvere videntur. Adserunt enim, Deum immediate Principi potestatem conferre, Populumque ut causam tantum instrumentalem in personae designatione concurrere, ita ut tantum modus acquirendi Imperium, non vero ipsius Imperii causa sint homines.

7 In aliam alii ivere sententiam, qui Patresfamilias in membra suae familiae Imperium habuisse, et post constitutas Civitates Principi illud contulisse pro certo statuunt. Hujus equidem familiaris Imperii insigne in Judae historia exemplum invenitur: hic enim cum Nurus ejus de stupro accusaretur, sententiam pronuntiavit, ut igne combureretur. Certissimum hoc inditium, Judam tanquam familiae suae caput in ejus membra poenas capitales statuere potuisse. Abrahamus

hamus etiam Fratrem suum à vicinis Regibus captum , armis liberavit ; Filiique Jacob ob Sorori illatum stuprum à tota Hemoritarum gente poenas sumpsere. Neque hujus Imperii apud plurimas Gentes vestigia deficiunt, ubi etiam post inventas Civitates , Jus vitae , necisque Patresfamilias retinent. Ex quo etiam facile patet ratio , cur in Rebuspublicis tantum familiarum capita , non vero singula membra ad commitia vocantur ; sola enim illa tale Jus habuere , quae postea in Civitates coeuntia , se , suaque communi omnium capiti subjecerunt.

8 Alii adserunt , in capite corporis moralis , facultatem singulos coercendi, quae in singulis antea non erat existere posse , eodem modo , quo ex commistione corporum simplicium aliud efficitur, in quo quamplurimae qualitates animadvertuntur , quae in aliis , ex quibus constat , non adparebant ; vel ex eo , quod quamplurimae invicem temperatae voces harmoniam producunt , quae in singulis

non

non reperiatur; probare etiam conantur homines singulos, licet ipsi leges ferendi facultatem non habeant, tamen ex quo voluntates suas unius voluntati subjecerunt, ea facultate gaudere.

9 2 Quid igitur in tanta sententiarum diversitate, ac caligine? Nos, semota omni authoritate, animi nostri sensus explicabimus, cuique liberum in nostra relinquentes arbitrium, ita ut si meliora docuerit, libenter accipiamus, non enim dictatoria authoritate, sed philosophicis rationibus Hobesii sententiam, omne fundamentum potestatis puniendi, situm esse in eo jure, quod ante Civitatum constitutionem unicuique faciendi quidlibet, quod ad sui conservationem, videretur ipsi necessarium, competebat, asserentem propugnabimus.

§. XI. Etsi tali modo mutuae Civium securitati consultum sit; hoc tamen ad Civitatum finem obtinendum non sufficit: nam frustra inter se pace fruuntur, qui se ab exterorum injuriis tueri non pos-

D sunt:

sunt: opus igitur est ad omnium securitatem, ut in Civitate existat potestas, cujus sit tot Cives armare, aut conducere, quod ad hostes repellendos sufficient.

1 Haec autem potestas nemini alioquam summo Imperanti competit. Certissimum enim est, homines jura quaedam propria, quaedam quaesita habere: ex quo necessario sequitur, Creatorem, qui ea hominibus concessit, facultatem quoque eis dare voluisse tuendi, agendique omnia, quae ad hunc finem consequendum necessaria sunt. Facultatem ergo illam quam homines in statu naturae habebant se, suaeque defendendi post constitutas Civitates summo Imperanti, penes quem homines se, suaeque contulerunt, non potest non competere.

2 Dari ergo bella justa ex veteri, novaque legeque, primae Ecclesiae consensu, omniumque gentium moribus, dubitanti patefaciemus, simulque dubia, quae ab Anabaptistis excitari solent, solvere parati sumus.

3 Ut autem bellum Jure Naturae, internaque justitia geri possit, justumque dicatur, haec duo praecipuè requiruntur; primum, quod justa sit belli causa; secundum, quod reparatio tantummodo exigatur injuriae intra quantitatem debiti, et poenae modum.

4 Cui justa bellum gerendi causa adest, omnia media ad conservationem sui juris necessaria, dummodo turpia, aut illicita non sint, adhibere licet. Potest enim arces expugnare, urbes delere, agros, caeterasque res hostium ferro, igneque vastare, ipsosque hostes, si id belli finis, qui est, vel defensio, vel sui Juris repetitio, exigit, occidere.

5 E contrario, si ille, qui bellum gerit, justam belli causam non habet, nec urbes hostium diruere, neque agros vastare, res eorum corrumpere, aut eos necare potest, immò potius, ad omnia damna sarcienda tenetur.

6 Praeterea, ut reparatio intra quantitatem debiti, et poenae exigatur, requi-

ritur, ut non plus ab alio, quam quod debet, aut meritus est, repetatur. Si quis vero ultra debiti, et poenae modum ab hoste suo, quamvis injustissimo, ulciscatur, tales actus injusti censendi sunt, nullumque inde jus acquirit, sed potius ablata restituere, damna data sarcire, expensasque solvere debet.

7 Hinc plane sequitur, Jure Naturae ab utraque partium bellum justum non dari, alter enim necessario jure, alter injuria agit. Nam licet hominibus, durante bello, de justitia, injustitiaque partium plane non constet, nullumque de ea re judicium ferre possint, is tamen, qui sciens causam injustam esse, bellum iniit, quoad justitiam internam adtinet, quidquid agit injuria agit. Sicut orta inter privatos lite, durante contentione, quis justè, quis vero injustè agat, non constat; adeoque donec per Judices res ad liquidum perducatur judicium in suspensio habetur; ille autem qui sciens causam injustam esse mala fide litem perducit, quoad ipsam

jus-

justitiam internam adtinet, injustè agit.

8 Et hinc etiam evenit, quod hi, qui neutram partem sequuntur, indeque *Medii*, et vulgo *Neutrales* dicuntur, utrique bellum gerentium mercenarias Cohortes dare non possunt, quia alter necessario injuria agit, injuriam autem cum de ea sibi constet, defendere nemini licet; in primis, cum hujusmodi facto Civibus in Cives cruentas manus injiciendi praestetur occasio. Sed priusquam hinc abeamus operepraetium erit, jura, officiaque tum *Mediorum* in belligerantes, tum bellantium in medios, exponere.

9 Illud ante omnia statuendum est, in arbitrio cujuslibet Populi esse, Medium se gerere, et non sine summa injuria, quod bellum gerentes cogant aliquem, ut pro alterutra partium stet, Mediusque esse desinat, concipi potest.

10 Hoc posito, Principibus, si qui inter se bellum habent, vicinorum imprimis auxilia, et amicitiam petere, mos est; quod ubi impetrare nequeunt, omni-

bus

bus suis viribus, ne alteri parti faveant, student.

II Quod Reipublicae inter duos Principes belligerantes, *Medium* se gerere utile sit, quamplurimi praestantissimi Politici, et haud pauci veterum Sapientum negavere. Animadvertendum hic tamen est, hoc non tam ad eos adtinere, qui ob terrarum longinquitatem, vel ob alias causas, nullam à bellantibus timoris suspicionem habere possunt, quam ad vicinos Principes, qui ita siti sunt, ut hostes nec vincere, nec vinci sine suo periculo possunt, ut Salustius ait. Hoc rerum statu cum vix evitari possit, quominus alterum hostem, aut socium habeant, generosa animi decisione opus est, et cum Caesare, jacienda alea Media via ad securitatem nulla est, et aut cum alterutro vincendum, aut ab utrisque pereundum. Sed de his Politici viderint. De juribus *Mediorum* erga belligerantes, et belligerantium erga Medios sequentia statuimus.

12 *Medii* uni prae altero bellantium auxilium praestare non debent, neque enim transitum per fines suos, quem uni concesserunt, alteri denegare possunt; necnon in portum alterum non recipere, si alium receperunt, namque aliter uni partium prae altera faverent.

13 Uterque belligerantium in *Mediorum* ditionem tutissimum receptum invenire debet, ita ut si navis ab hoste persequuta ad portum Pacatum venerit, ibi non tantum recepta, verum ab aliorum injuriis libera esse debeat.

14 *Medii* praesentem possessionem sequi tenentur. Licet enim aliàs inter possessionem, et jus Imperii distingui soleat: *Medii* tamen possessionem sequi debent; quia cum nullam decernendi inter bellantium jura facultatem habeant, naturali ratione ducti, factum possessionis respicere debent, et cum eo agere, qui Civitatis administrationem habet: frustra enim cum altero, qui non possidet paciscerentur: talia namque pacta per
rei

rei naturam nullo modo praestari possent.

15 Sic proinde si possessor, qui vi forte Imperium occupavit, à Pacatis id quod Civitati suae debetur exigit, debitum ei solvi potest, et debet: idemque quod Civitati debetur, acceptum ferre potest. Nec ejecto possessore, superveniens debitum illud condicere potest, quia extinctum jam à praesente possessore fuit, quam possessionem Medii sequi debent.

16 Res, personaeque eorum, qui bellum gerunt, si intra amicos fines inveniantur, eam retinent conditionem, quam eo momento quo intra eorum fines pervenerunt, habebant.

17 Hinc, is, qui ab hoste captus, et ad Pacatos deductus est, si nondum in fines hostiles pervenit, pro servo non habetur, quia in hostium potestate adhuc non est, sed manet liber, ea enim conditione fuit cum fines Pacatos intravit; è contrario servus, qui ab hoste fugiens ad amicos se recepit,

ser-

servus manet, nisi ad fines suae Civitatis pervenit.

18 Officium bellantium erga Medios in eo praecipue consistit, quod nihil in eos occasione, aut praetextu belli, quo eorum jus laedatur, agere possint.

19 Hinc, si à belligerantis militibus occasione belli, detrimenti quidquam Patatus accepit, statim ei reparare tenentur, et sic, neque arces, neque amicorum urbes, belligerantes, nec adhuc defensionis causa, occupare possunt, nisi ab hostibus loca illa occupanda praeviderint, et tunc restitutionis onere, defuncto periculo.

§. XII. Sed, an orto inter duos populos bello, amicis liberum cum hostibus commercium liceat interdicare, adeo ab utraque partium probabilibus rationibus disputatum est, ut, quam partem sequi debeamus, merito dubitemus. Ab eorum enim parte, qui commercia cum hoste exercent, nulla dubitandi ratio esse videtur, nam Jure Gentium cuique res suas

E

pro

pro arbitrio, cui vellit vendere, liberum admodum est. Et contra ab eorum parte, qui haec commercia tanquam sibi noxia existimant, ratio non minus aperta videtur. Nam cum cuique, à natura se, suaque jura tueri concessum sit, etiam ea permissa, sine quibus hunc finem obtinere nequit, veluti si hostem vincere, nisi aliorum commerciis cum eo interdictis, non possit.

I Nos, ut rem expediamus, tria mercium genera distinguimus, quae extra bellum tantum, quae in bello, et quae utrobique usum habent. Ad primum ea referimus, quae solum voluptati inserviunt: ad secundum arma: ad tertium ea quae ad quotidianos hominum usus attinent, veluti aurum, frumentum, argentumque.

2 Primi generis mercium Pacatis cum hoste cōmmercium gerere, licitum esse asserimus; alterum valde prohibitum: tertium tunc denique prohiberi posse, cum hostis his mercibus juvatur, veluti si Pacatus

tus

tus urbem obsessam, fameque laborantem, ab imminente periculo liberare velit.

3 Quod res in hostium navibus re-
pertae pro hostilibus sint habendae, non
ita accipi debet, quasi certa Juris Gen-
tium sit lex, sed est tantum praesump-
tio, quae explorata re elidi facillime potest.
Neque amicorum naves ob res hostium
in his inventas in praedam veniunt, ni-
si dominorum consensus intervenerit, alio
modo res tantum capientium fiunt; atque
ita Galliae leges intelligendas censemus,
quae *ex rebus naves, ex navibus res prae-
dae* subjiciunt.

§. XIII. Quibus adversus hostes armis
uti liceat, non minoris momenti quaes-
tio est. Qui nulla arma illicita existimant,
his rationibus nituntur. Quem jure occi-
dere possumus, hunc Jure Naturae, ve-
neno, gladio, aut percussore, si neces-
sitas adest, occidamus, perinde est: hos-
temque de medio tollere quacumque via,
opus est. Praeterea cum ad injuriae nos-
trae reparationem bellum inventum sit,

eaque absque victoria consequi nequeat, quidquid ad eam obtinendam necesse est, tamquam media ad finem perveniendi, agere nobis licet.

1 Neque huic sententiae quidquam detrudere putant magnae innocentum, quae inde sequerentur clades, si venenis aquae miscerentur. ¿ Quid tunc postea? ¿ An si ad naturae leges attendimus, ipse mea jura ob id solum, quod nonnulli fortasse insontes extra propositum meum patiantur, amitam? Igitur hoc armorum genere, cum nulla alia adest mitior, suaviorque juris vindicandi via, uti possumus, sola enim ea necessitas et Scebo-lae, et Judithae hostem per insidias aggredientes, factum justificavit; non vero admiratio virtutis, ut segniori Coccejo visum fuit. Haecque sunt, quae ab hujus sententiae fautoribus proferuntur.

2 Contrariam sententiam propugnantes ita eam defendere conantur. Facultas, quae hominibus ad vim hostium repellendam competit, à natura, id est, ab ipsius

sus Dei voluntate, proficiscitur; ipseque Deus, qui nullo pacto, quae in se turpia sunt, potest unquam velle; nec veneno, caeterisque confectionibus, quae in se turpes sunt, homines uti, permittere potest.

3 Sed hujusmodi ratio tunc demum admitti posset, quando in venenis, caeterisque hujus generis armis, turpitudine, quae ab illis praedicatur, reperiretur, praecipue cum turpe sic definiant. *Turpia arma* sunt, quae nullum specimen virtutis prae se ferunt, sed ex animi molitiae, foeditate, et timiditate adhibentur, ne adversus ea hosti nostro defensio pateat; et arma turpia denique esse asserunt, quae omnis defensionis facultatem ita excludunt, ut ab homine *provideri nequeant*. Quae sane quantum valeant quisquis mediocri ingenii vi pollet, facillime videt.

4 Nos cum magno Grotio ex mero, summoque Jure Naturae dubium dirimentes, vix dari arma illicita statuimus. Cum
enim

enim Jure Naturae in hostem, qui Cives nostros interimit, res nostras rapit, et vastat, vel consilio saltem, et opibus suis injuriae nostrae reparationem impedit, omnia liceant: nulla arma, quae hostem destruere, vires ejus imminuere, viamque ad Juris nostri reparationem nobis sternere possunt, vetita esse putamus. Verum igitur est, nulla dari arma illicita, nisi modus defensionis per se crimen inferat. Hinc quamvis venenatis sagittis, vel spicula inficiendo, aut percussores mittendo hostes interficere liceat; non tamen mendacio in eos uti, nec aquas, quarum usus communis est corrumpere, nec captas stuprare licet, quia in his naturalis inest turpido, et crimen criminis expiari non potest.

§. XIV. Non ultimum locum inter praecipua Majestatis jura obtinere debet Jus ad exterarum gentes Legatos mittendi. Cum enim Principi saepissime cum aliis summis Imperantibus de maximi momenti rebus agendum sit, et non semper ei

com-

commodum magna itinera conficere; nec
 exterae gentis fidei, Principis personam
 committere semper tutum sit; his de cau-
 sis ex communi fere omnium Gentium
 consensu, et approbatione, publici Nun-
 tii, qui Principis personam sustinerent, ea-
 que omnia, quae ipse agere debebat,
 expedirent, apud exteras Gentes recep-
 ti sunt, magnaque semper habiti vene-
 ratione, tamquam homines sanctimonia
 praediti, qua et dignitati Mittentis, et
 securitati consultum est Missorum, quos
 Legatos appellare mos est.

I De causa tum admissionis, tum se-
 curitatis Legatorum, non omnium Au-
 thorum eadem est sententia. Grotius nos-
 ter, et cum eo plerique, cum omnis obli-
 gationis principium, in Gentium consen-
 su ponant, ad eum in hoc quoque ca-
 su confugere mirum non est. Nimirum
 Gentes omnes, aut saltem moratiores, in
 quaedam pacta convenisse, et ex tali
 consensu vim obligandi ad caeteros trans-
 misisse, Authores hi sibi finxere. Sed
 cum

cum nobis de tempore, quo hujusmodi conventio inita, nec quo primum invaluit apud populos constet; cum nemo hucusque tabulas, quibus horum pactorum formulae continentur, produxerit: cum Principes has praedecessorum leges, licet existerent, observare non teneantur: cumque denique si non ex certa aliqua causa, sed ex solo consensu procederet haec obligatio, mutuo posset rursus dissensu dissolvi, nam, quae unicam voluntatem pro ratione habent, possunt absque dubio in Rebuspublicis mutari; idcirco consensum omnium Gentium pro vera admissionis, et securitatis Legatorum causa haud esse admittendum affirmamus.

2 Sunt nonnulli alii, qui omnem tum admissionis, tum securitatis Legatorum causam à Majestate Mittentis derivant. „Ausim ego, inquit Joannes Fidricus Hornius, „securitatis causam omnem à „Majestate Mittentis arcessere. Nimirum „Princeps, qui alterius territorium volente domino ingreditur, quamdiu se „hos-

» hostem peregrinae Reipublicae non pro-
 » fitetur, eo honore, eaque reverentia co-
 » lendus est, ac si apud suos ageret. Si
 » temere, neminem lacesens, violaretur,
 » contra Jus, ac fas, sceleratissimos par-
 » ridas facere, quilibet censeret. Ne-
 » minem laedere, nequidem infimae sor-
 » tis hominem, quamdiu innocens agit,
 » ex praescripto legis naturalis jubemur.
 » Sed hic concurrit simul publica Gen-
 » tium ratio, quod Princeps instructus
 » Imperio, ac Majestate, quocumque lo-
 » co fuerit, divinitatis quendam impres-
 » sum characterem circumferat, et uni-
 » versae Reipublicae instar sit. Quare si-
 » ve à Principe peregrino, sive hujus sub-
 » ditis laedatur, semper Dei Vicarius, et
 » integra communitas offenditur. Sustinet
 » nunc illas Principis vices Legatus, et
 » huic quidquid accidit sibi, vel honori,
 » vel contumeliae ducit Mittens. Nun-
 » quam vero sine praesentissimo metu
 » secuturae vindictae contemni, aut vio-
 » lari Princeps poterit, aut in hoc Res-

» publica , nisi disolvatur simul vinculum
 » et omne jus , quo hactenus Gentes in-
 » vicem connectuntur. Majestas igitur,
 » quae Principis Legati quoque caput
 » tuetur , nec caput tantum , sed comi-
 » tes , et omnia vasa , quod haec stimen-
 » tur accessoria ex conditione principalis.»
 Hucusque sapientissimus Hornius.

3 Verumtamen si quis mentem , ver-
 baque ejus accuratè consideraverit , facil-
 lime deprehendet , solam Principis Ma-
 jestatem , ad omnimodam Legatorum se-
 curitatem non sufficere , quia non in tu-
 tiori posita esset persona Legati , quam
 ipsamet est Majestas Principis. Nemo
 enim , qui prima Juris Gentium elemen-
 ta salutaverit , Principem , vel in suo,
 vel hostili Regno bello persequi , dam-
 nisque permultis affici , capi , immò et
 occidi , omnique Imperio privari posse,
 si opus sit , absque injusta Majestatis lae-
 sione , dummodo belli justitiam pro se
 habuerit , adhuc dubitabit. Et quoniam
 Majestas Principi nullam in bello prae-
 bet

bet securitatem , multo minus Legatis, qui ejus personam induunt , praebebit.

4 Oportet itaque inveniri in Legato aliquid , quod ei securitatem , quam ipsemet Princeps non habet , tribuat. Et si quis de re , ut vere se habet disserere velit , Majestatem Principis ad exteros non attinere dicendum videtur , adeoque per laesionem Principis , Imperium non laedi. Ratio per se patet. Cum enim Majestas omnis subditos Imperii sui tantum afficiat , extraneis vero nullo modo praecipere possit , merito hinc evenit, eandem ab exteris nullo modo violari posse , quia si nihil eis jubere potest, nec hi ejus praecepta ullo modo violare possunt , nam tantummodo hi , qui Imperio Principis voluntates suas submiserunt , ejus Imperio parere tenentur. Quin si Principis Majestas ab extraneo Principe laedi posset , hunc de laesae Majestatis crimine postulandum esse sequeretur, cum nemo Majestatem laedere possit , qui non laesae Majestatis Crimen commit-

tat; et omnes unanimi consensu asserant, tam enorme crimen non in alios quam in subditos cadere posse. Nos certè hunc argüendi modum firmissimum arbitramur. Qui non conveniri potest de laesa Majestate, ille nec Majestatem laedere poterit; et è contrario, qui Majestatem laedere potest, ille est laesae Majestatis reus.

5 Quodnam vero aliud fundamentum erit postquam consensum Gentium, et Principis Majestatem rejecimus, in quo Legatorum securitati consultum sit? Neque enim sufficit aliorum opiniones refutare, sed nostram proferre, et quod in aliis desideravimus, rem ex Genuino principio derivare debemus.

6 Et quidem, cum fundamentum obligationis Juris Gentium in mutua Rerumpublicarum relatione, et conexione positum sit; et omnia, quae Jus Gentium jubet, vel vetat, ita comparata sint, ut quodam modo ad omnes Gentes pertineant, et morali relatione omnibus communia dici possint: sponte sua hinc sequi-

quitur , hanc inter Respublicas relationem , et conexionem securitati Legatorum adeo prospicere , ut eorum violationem Jus Gentium puniat. Quod cuique facile patebit.

7 Nimirum constitutis Civitatibus, cum aliae aliis vicinae Respublicae sitae essent , quin plurimis inter se de rebus agere necesse haberent fieri non potuit. Id enim , et communis commerciorum usus , et amicitiae , Foederumque Sancta Societas exigebat : et praeterea , si quas Populus ab alio injurias accipiebat , aut bellum indicendum , aut de injuria reparanda , amicè erat agendum. In ipso etiam bello plurima evenire solebant , quae non armis , sed colloquiis erant expedienda , veluti indutiarum fides , ut occissi, utrinque sepelirentur. Pax denique unicus belli finis nullo alio obtineri pacto potest , nisi antea inter partes de conventionibus , et satisfactione actum fuerit per Legatos ; quoniam ut supra monuimus , non semper commodum , immò

periculosissimum Imperanti foret alienae se concedere fidei.

8 Fundatur itaque intemerata Legatorum sanctitas, primario in morali illo Rerumpublicarum coagulo, et relativa necessitate, cum impossibile sit, ut per Legatorum violationem, non simul communis omnium Gentium tranquillitas, et consociatio laedatur. Secundario vero, et à posteriori firmatur insuper praesumpto Populorum consensu, quia non potuerunt non in id convenire, quod Gentium quieti tam salutari efficaciam providet, et arctissimam vinculorum compagem conservat. Et hac ratione, ut ait sapientissimus Hornius, consentiunt Gentes in Legatorum admissionem, et securitatem, *non motu effectivo*, ut ipsae aliquid sanciant, *sed parendi necessitate*, quia nolentes volentes sic facere tenentur, eo ipso enim quo Gentes sunt se Juri Gentium submitunt, sicut omnes qui Reipublicae accedunt praesumuntur velle, juxta leges, et Civilia instituta agere.

9 Cum igitur nexus, contextus, et relativa Rerumpublicarum qualitas, securitas, ac felicitas sine Legatis consistere nequeant, non sunt hi temere rejiciendi, nisi causa aliqua justa subsit, quae in diversam sententiam moveat.

10 Causas istas deducit Hugo Grotius ex eo, qui mittit, ex eo, qui mittitur, et ex eo ob, quod mittitur. Justa igitur rejectionis causa erit, si ille, qui mittit alterius, ad quem mittit Legatos antehac rejecit ipse: aut si callida Legationis simulatione, saepe antehac decepit Admittentem, et similis de ceptionis metuatur artificium.

11 Ex parte ejus, qui mittitur justa erit causa, si infesta nimis, aut odiosa fuerit venientis persona: si crimine in Admittentis territorio commisso, notata, si perfida in Principem fuerit, ad quem mittitur, aut si contumeliis eum antehac prosciderit, et quae evenire possunt alia.

12 Ratione negotii, ob quod mittitur Legatus rejici poterit, si notorium fuerit.

rit non id agi quod aperte profitetur Legatus, sed id potius, ut in seditiones, atque defectiones concitet multitudinem: si explorandi tantum animo venerit, aut ut vana spe pacis ineundae facta securum reddat Principem, et ejusmodi alia. In quibus tamen omnibus providum esse desideramus Principem, ne temere quicquam statuatur, cum impossibile sit, istam prudentiae civilis partem praeceptis, aut legibus praescriptis ita includere, ut non aliqua subinde occurrant, quae pro re nata diversam plane sententiam exigant.

§. XV. Anceps quaestio est, et in Curiiis Principum frequenter agitata, num Legati etiam tum gaudeant incolumitate, et securitate, ut inviolabiles sint, quando aliquod crimen designarunt? Alii in genere quaestionem affirmant, et Legatos ex omni delicto in foro delicti puniri posse ajunt: alii in genere id negant, cum quibus sentit Grotius: alii tum demum forum sortiri in loco delicti

ti

ti statuunt, si aliquid contra statum publicum Regni commisissent: alii denique putant extraneos Reges consulendos esse.

I In hac vero quaestione in primis discernendum est id, quod generositatis, humanitatis, aut prudentiae, et id, quod juris est. Generosi, et magnanimi Principis inditium est, si is Legatum, qui faciem sui Principis veluti imago quaedam ejus refert, ad Principem, ac Dominum ejus remittit, atque ita in causa vindictae jure, ac potestate sua cedit; et eo magis laudandum est hoc consilium, quod eo Principes ad mutua humanitatis officia, cultumque provocantur; magisque adeo animi moderatione, quam jure, et armis, certant. Sed, et prudentiae quoque id est saepissime, si potentissimi hostis Legatus sit, ut vindictam potius disimulet, quam Rempublicam in discrimen adducat; atque ita Principes, ac Populi Europae vix, vel rarissime in Legatos, si quid admittunt, statuere, sed vel

G

illud

illud dissimulare, vel Principi ipsorum denuntiare solent.

2 De Jure vero Gentium, ejusque ratione, si quaeratur, existimamus, omnino Legatos non esse exemptos à jurisdictione, ac potestate ejus Principis ad quem missi sunt; adeoque si ibi delinquant, forum eos nancisci, nec huc Jus Gentium, et Legatorum sanctimoniam pertinere posse.

3 Nemo innocens ob delictum alterius puniri potest. Utut igitur Princeps Legatos alterius violaverit, talio cessat, nisi et ii, qui mittuntur in crimine participaverint.

4 Sacrosanctos, inviolabilesque Legatos esse debere statuimus, non tantum iis ad quos mittuntur, sed et omnibus omnino per quorum fines iter eis faciendum est.

5 Ut ex delictis, ita et ex contractibus suis, aliisque causis legitimis conveniri possunt Legati apud Principem ad quem adhuc ratione eorum, quae alibi,
vel

vel in loco quidem Legationis, sed ante Legationem contraxerunt, nec jus domum revocandi habent, quod Jure Civili Legatis concessum animadvertimus.

6 Legatorum violatio justa est belli causa.

7 Jura, privilegia, et praerogativae, quae personis ejusmodi publicis vulgo tribui solent, ut jurisdictio in domesticos, signa reverentiae, necnon honores per ceremoniale (quod vocant) ejusmodi personis destinati, denegari Legato non debent. Equidem in singulis fere Curiiis Legatis varia privilegia pro variis Legatorum gradibus tribui solent. Qui proinde Legatum certi ordinis admittit, ei quoque honores gradui illi annexos tribuere tenentur, tum ex tacito pacto, quia qui vult antecedens (id est, qui recipit Legatum cum caractere, cui usus communis, vel Curia illa ad quam Legatus mittitur, certa privilegia tribuit) vult etiam consequens: tum quia injuria esset uni negare privilegia, quae omnibus

bus

bus ejusdem Legatis tribuuntur. Idque extra omne dubium est, si ipse, qui denegat, eodem privilegio apud eum cui denegat, utitur. Aliud igitur dicendum si Princeps, qui talem praerogativam praetendit, ipse eam denegat aliis: tunc jure talionis merito excluditur ejus Legatus ab ejusmodi privilegiis.

8 Hujusmodi privilegia, quae Legati longo usu obtinuerunt, mutari quidem generali lege Principis possunt; nullum enim Jus Lege Naturae Legatis, et qui eos mittunt quaesitum est: at non temere, nec tumultuarie id fieri debet. Si autem ob abusum mutare Princeps velit, reliquis Principibus quoque liberum est, vel tollere privilegia Legatis in suo territorio concessa, vel plane non mittere Legatum; at causa belli justa inde non erit.